Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2151
Quelle:
Copyright:

A finale vno tono atque ſemitonio
Preter vocem quintam, ſub Ditono deponitur.
Quod ſi plagas ab autentis conuenit diſcernere
Plage ſaliunt ad quintam et ad ſextam ſepius
Et ad quintam declinando ſibi ſatisfaciunt.

Alteri vero:

At autenti ad octauas competenter ſaliunt
A finali vno tono neque cadunt amplius.
Quod ſi plagas ab autentis conuenit diſcernere
Plage ſaliunt ad quintam nec vadunt ulterius
Et ad quintas declinando ſibi ſatisfaciunt.

Tertium eſt de Tono *Duplo, Tertio, Sesqualtero, Sesquitertio. Pag.* 2. et 3. exhibentur *Monochorda Ottonis, Guidonis, Willehelmi Abb.* et *Regulare Boetii*, omnia eleganter delineata, et reſpicientia ad ſecuturos in *Codice* Tractatus, quibus p. 4. a recentiore manu accedunt Figurae geminae Tonorum diverſitatem docentes.

II. *fol.* 4. praevia rudi ſed conſpicua et totam paginam occupante *Boetii* ſedentis Icone picturata, literis uncialibus miniatis: *Anitii. Mallii. Severi.* (*ni* eraſum) *Boetii. Viri. Coſularis. Ex ordine. Patricii. Liber. Primus. Muſice. Artis. Incipit.* Libros V. *de Muſica* reliquit illuſtris hic Sec. VI. Scriptor, qui cum reliquis ejus Operibus extant impreſſi *Baſileae* 1570. a p. 1063. f. hoc initio: *Omnium quidem perceptio ſenſuum ita ſponte ac naturaliter* &c. quo loco primam in *Codice* literam O rurſus *Boethius* occupat ſedens et dextra Δεκαχορδον tangens, ſiniſtra tubam ori admovens. Ephororum *Spartanorum* Προοιμιον, quod ſtatim *Cap.* 1. occurrit, nos et in ipſo contextu, et ſeparatim ante Libri initium habemus, ubi inſcribitur: *Secundum aliud exemplar hec Greca ſcriptura poſtea in libro aliter habetur.* Utrique Exemplo verſio interlinearis latina miniata addita eſt, ſed utrobique Graeca multum vacillant. Poſſet tamen ex utriusque comparatione expendi lectio, quam hujus S. C. exhibet *Joſ. Scaliger ad Manilii Aſtronomicon, L. Bat.* 1600. in not. ad. *Sphaer. barbaric.* p. 426. 4. a ſe ex obſoletis, ut ait, veſtigiis reſtitutam. Atque, ut aliquid innuam, ubi ille legit: και ποιηταν ἀντι καθαρας και τεταγμενας ἀμφιεννυται ταν μωαν, et Editio *Boethii*: και ποικιλαν ἀντι ἁπλοαν και τεταγμεναν ἀμφιαχυιαν μολπην, *Codex* primo loco habet ποικιλεν, altero ποικηταν, utroque loco pro καθαρας ἁπλην et ἁπλοαν et cum *Scaligero* μωαν, et quamvis mendoſe ſcriptum ἀμφιεννυται. Textus ipſe *Boethii* ſat caſtigatus eſt; ſunt tamen, quae e *Codice* adoptes. Ita mox C. 1. *Vulgum uero ipſa quoque dubitatio*